

ad.)

Telg.

14.

DISPUTATIO ASTRONOMICA,
de
STELLIS ERRATICIS
EXTRAORDINARIIS
seu
COMETIS,

Quam
Adjuvante Æterno Stellarum Conditore

et
PRÆSIDE
M. JACOBO SCHNITZLERO,
CIBINIENSI

Transylvano,
In Celeberrimâ atq; Florentissimâ Witteber-
genfium Academiâ coram

Eruditis publicè
defendet

SIMON BASCH, CIBINIO

Transylvanus,
Ad Diem XV. Junii
In Auditorio Philosophorum
Horis Antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN,
ANNO M. DC. LIX.

A. Han.

MONUMENTA ORBIS TERRARUM

ZOTTAYI PETE
M. D. C. L. X. I.

PITTA
SOCIETATIS

ACADEMIAE PITTORUM ET SCULPTORUM




M. N. MUZEU
KÖNYVE
TÁRÁBÓL

MONUMENTA ORBIS TERRARUM

LIBERIS LIBRARIA

MONUMENTA ORBIS TERRARUM

LIBERIS LIBRARIA



ביהורן

THESES ASTRONOMICÆ.

§. 1.



Eternus Cosmoplastes, Deus
gloriosus cœlestem fornicem expolivit
spectaculis elegantissimis. ut hominum o-
culos ad se invitent & Cor doris infinita-
tum ostendant sapientiam. Cœli enarrant
gloriant Dei, inquit sacer codex, & judice
Poëta magnum in eo est hominum &
brutorum discrimen, quod ii oculos sur-
sum convertere acq; stellas speculari possint, quando canit. Lib. 1
Metamorph.

Pronaq; cum spectent animalia cetera terram
Os homini sublime dedit cœlumq; videre
Fuisse, & erectos ad sidera tollere vultus.

At quot quisq; est qui harum rerum habet rationem? quotus-
quisque cœlestia hæc corpora dignè contemplatur? Alium avo-
cant vanæ mundi voluptates, aliū deterrat rei præconcepta dif-
ficiles, aliū alia. Millenis videlicet præpedimus modis! Felix
autem quem faciunt aliena periœla - autem Is est hominum genius,
ut quæ quotdī oculis nostris obversantur, judicentur proletaria
& quotidiana, hinc quando novæ apparent in Cœlo faces quivis
querit quid sint, quid portentant, quid velint? quasi nihil in stel-
lis semper conspicuis dignum admiratione esset. O misera mor-
talium natura novitatis avida! Nos in præsenti de insolitis istis
Phœnomenis pro virium tenuitate, juvante Deo, sequentia ex-
hibemus.

2. Cometa sunt stelle erratice extmodum ordinis

A 2

ordinario à Deo productæ, locumq; suum in sede Planetarum subter regionem fixarum ad certum tempus obtinentes. Dicuntur Cometæ Stellæ erraticæ, quia ad imitationem Planetarum vago respectu nostri oberrant cursu, nunc hoc, nunc alio hærentes loco secus ac Stellæ fixæ, quæ stabili Lege situm suum ad invicem observant. Extraordinariae, quia præter naturæ consuetudinem modo profus in usitato per virtutem divinam producuntur & Incolæ Terrarum iratum Deum perpetuò indicant.

3. Nomen quod attinet, Cometa dicitur synechdöchice quævis ejusmodi Stellæ erraticæ extraordinariae, cùm valens hæc vox κομήτης à κόμη, quod contram latinè sonat, derivata crinitas tantum Stellas pressè loquendo denotet. Sunt enim quædam portiùs caudatae & barbatæ dicendæ. Quamvis ergo nonnisi illæ Stellæ quæ radios suos instar crinum extra corpus suum evibrant, strictè loquendo Cometæ dici possint; extenditur tamen hæc vox ex usu Philosophico ad omnes stellas errantes in usitatas.

4. Unde autem & quonodo hæ stellæ orientur prolixè apud Authores diversos controvertitur. Plutarchus olim Lib. 3. Cap. 2. de placitis Philos. censuit Cometæ non esse realia corpora, sed nūdas emphases, quemadmodum alias meteora Emphatica, Parelia, Iris & similia nonnisi apparenter, id quod repræsentant, sunt; vel etiam species rerum à speculorum superficiebus reflexæ. Hæc verò sententia oppido falsa est; Meteora enim ista emphatica variabiles subinde obtinent figuræ & brevi tempore penitus intereunt, at Cometæ per debitum & satis longum temporis spatium constantem retinent figuram neq; tam citò dissipantur. Meteora etiam ista in aëre vaporibus incrassato fieri consueverunt, at Cometæ suprà aerem versari abundè demonstravit recentiorum Astronomorum industria, cœu in sequentibus pluribus id evincetur. Quid, quod Meteora tantum uno atque altero Terra loco conspiciantur, Cometæ verò per integræ regna, climata & Zonas.

5. Alii, referente Seneca Lib. 7. Quæst. Nat. cap. XI. & XIX. existimarent, Cometæ esse conglomerationem seu σύμφασιν multarum Stellarum ordinariarum quæ conjuncte speciem stellæ unius

enius oblongioris referre videantur, eujus sententiae etiam fuisse Democritum & Anaxagoram, colligi potest ex Aristotle Lib. 1. Meteororum Cap. 4. Figmentum verò istud facile refellitur. Nam ex compactione fixarum nemo dicet Cometas constare, cum liquidò notum sit eos infra regionem fixarum versari, ex cumulatione etiam Planetarum conspicuorum Cometæ fieri nequeunt, quia raro tempore Cometarum dantur conjunctiones Planetarum & quando dantur nulla videtur eorundem in longum diductio; neque etiam Conjunctiones diurno durant spatio, cùm tamen ex Historiis cognitum satis sit Cometæ quosdam, semianno etiam durasse.

6. Renatus Des-Cartes Lib. 3. Phil. sua, & ante ipsum Cardanus Lib. 4. de Subtil. alijq; statuunt Cometæ esse Planetas, qui quidem semper in cœlo existant, nobis verò non sint conspicui nisi certo tempore, sive quod in radiis Solis lateant, sive quod non sint in apto positu & distantia convenienti ad reflectendum Solis lumen in terram. Sed nec hæc sententia utut plausibilis assensum meretur. Nam si ita, tūm multi Cometæ cœlo adscribendi erunt, cùm à tempore conditi mundi egregius eorundem numerus observatus sit. Improportionabiles etiam prorsus erunt epicycli proportiones eisdem Cometam circumferentis, si videlicet passo tempore conspicui statuantur & per multos annos tandem inobspiciuntur. Denique cùm liqueat quanta sit elongatio arcis visionis in ortu heliaco cujusq; Planetæ, itemque multos Cometæ Planetis maiores extitisse & præcul à sole extinctos esse, hæc opinio sine omni dubio rejicienda erit.

7. Aristotle Lib. 1. Meteor. Cap. 7. & 10. ejusque Interpretes communiter Cometæ Meteora ignita esse asserunt, quæ ex copiosis exhalationibus orta in supremam aëris regionem eleventur & accendantur, tamque diu ibi consistant donec varia illa materia accensa paulatim rursum disgregetur & extinguatur. Hos multi, etiam Astronomorum securi sunt, ex quibus præ reliquis notandus Scipio Claramontius Academia Pisana in Italia nuper Philosophie professor, qui Anno 1621. edidit Anti-Tychonem pro Cometis Sublunariis, in quo prolixè approbare & defendere nitit.

-tur Peripateticorum plerorumque placita, quām verō feliciter
paulò pōst videbimus.

8. Argumenta quibus hēc sententia aliquomodo robora-
ri videtur plura sunt numerō quam pondere. Ipse Aristoteles lib.
1.c 7. anteā citato reconsit siccitates, ventos varios aut etiam ter-
rē motus, qui concōmitentur & præcedant Cometas, unde collig-
ite eos ex præcedaneā dispositione necessariō sequi. Urget et-
iam ibidem rationē aliorum Meteororum aequalē, quæ non-
nisi durationē & figurā à Cometis differre aūtumat, quippe quæ
æquē tamdiu conspicuæ forent, si materia tam citō non dissolve-
retur, hinc etiam Meteora illa cōparat paleis, quibus si injicia-
tur ignis, conspiciatur quidem conflagratio oblonga, sed minime
durans, ubi verō exhalationes nūmis condensentur & condignē
temperentur, principio igneo accedente, fieri exhalationem figu-
ratam, quæ ad multum tempus aūrare apta sit.

9. Et nē injuriā facere videamur iis qui in dogmata Aristotelis iutasse videntur, producimus ejus verba, quæ eodem loco jam citato pōstralia habet dūm. inquit: Si itaq; hoc permaneat (ignis principium modicum in cumulo palearum & idonea suc-
cens fomitis dispositio) & nō consumatur celeri transitu arg. plu-
rimū fomes successus fuerit addens satus, utiq; latio semel inchoata
perficiet suum cursum; & alio quoque est comita bella, quale est Stella
discurrens, sed habens sui motus principium ac terminum completum.
Ex quibus satis appareat Aristotelem Cometas non nisi exhalatio-
nes in aère accensas esse statuerē.

10. Quām verō fallax sit prima ratio & elumbis, luculentis
ter appetet exinde, quod sēpē terrae motus, siccitate & ventis tur-
bulentissimis præsentibus nullus (amen existat) Cometa; unde latet
argumentari. Præsente causa præsens est effectus. Argui præ-
sente siccitate, terrae motu & ventis variis præsens est causa Cometica.
Ergo etiam præsens erit Cometa. Quot ergo habebitius Cometas?
an quovis anno, an iē quāvis estate, ati erunt Cometas hoc modū
insolita spectacula, an portenta anniversaria? Eant iam obſer-
vati & præconceptis opinionib; fascinati Philosophi, excusent
in zodiacis, in meteoris exilioribus diuinis.

fiuum Coryphaeū, rodant ungues, aures, capita & videant num-
ne potuerit hallucinari sumamus Aristoteles.

11. Aequalis ponderis est illatio, quæ desumitur ab analo-
giā Meteororum, quis enim unquam observavit Cometam tam
fluxo & vago oberrare cursu ac Meteora? Consideret quæso qui-
vis qui vel rudimenta Astronomica & Physica addidicet, quomo-
do Meteorum per circulum maximum eundem quoad sensum
ita concinnè circumgyrari possit? Ut siat compendium, argu-
mentamus: Quicquidem Meteoris nec formā, nec motu, nec loco,
nec duratōne convenit, perperām in eorundem censem refertur. Co-
metas, nec formā, nec motu, nec loco, nec duratōne cum Meteoris con-
veniunt: E. frast: à Comete pro Meteoris habentur. Formam
Cometas aliam quām Meteoris habere patet ex caudā vel comā,
Motum iisdem disparem conpetere facile concedet qui conside-
raverit Stellas cadentes, Igrem fatuum vel Draconem volantem &c.
Durationem Meteoris semestrem, qualis nonnullorum Cometa-
rum fuit, qui nobis ostendet Phyllida solus habeat. De loco de-
inceps dicetur.

12. Accerimus Tychonis de-Brahe Antagonista Claramen-
tiū in Anti-Tychone suo urget Parallaxin Cometarum, quam ex
observationibus per Instrumenta institutis semper majorem pa-
rallaxi Lunæ fuisse contendit. Unde sequitur Cometas infra Lu-
nam loca sua obtinere. Quo major enim corporis alicujus co-
lestis parallaxis est, & inferius; & quo minor, & superius semper
versatus. Ita parallaxis-Solis; minor parallaxi Lunæ ostendit
hanc inferiorem, illum superiorem esse. Cumq;e hoc argumen-
tum sit evidens sat is civis naturam parallaxiū peniculanti, paulò
diligentius inquirendum nobis erit in veritatem observationum,
ante fidem videlicet ea mereantur quæ citatus Tychonis Adver-
sus prolixè proposuit.

13. Superiori Seculo Anno 1580: circa initium Octobris
usq;e in Decembrem apparuit Cometa, recensente Tychone To-
mo 2. progrīm. pag. 267. quem postea scriptis celebrarunt Ma-
chael Mestlinus, Christophorus Rotmannus aliq; ostendentes eum
supra Lunam fuisse ex sedulis observationibus, quibus se oppo-
suit.

Sicut citatus *Claramontius* Lib.3. Cap.18. sui Anti-Tychonis, sump̄a occasiōne ex differentiā 18. scrupulorum, quae intercesserant inter observationes Tychonicas *Uraniburgi*, in *Daniā* & *Cassellū* in *Hassia* factas, de quibus videatur ipse Tycho in Epistolā Anno 1592. ad Landgravium Hassia datā. Hunc defectum *Tycho* ibidem judicat prognatum ex virtute perpendiculi non sat accuratē directi in Quadrante, *Claramontius* verò differentiam hanc diversitati parallaceos adscribit, quam *Cassellū* majorem ac *Uraniburgi* fuisse autumat, unde postori Germaniae parti Cometam hunc in inferiori Meridiani parte iuconspicuum fuisse retur ob nimiam à vertice distantiam.

14. Idem affirmare ausus est *Claramontius* de Cometa Anni 1577. quippe quem sublunarem fuisse jam demonstratum esse, pag.289. & seq. passim. Sed temeritatem hanc meritò castigavit *Jobannus Keplerus* edito Anno 1625. *Hyperaspis Tychonis adversus Scipionem Claramontium, cum Appendice ex Trutinatore Galilei*. Quis enim sibi persuadeat unum solum observatorem, Solum Argum fuisse atq; omnibus palmam præt puisse? Annon æquè imò tuitius longè observations *Claramontii* in dubium vocari possent & deberent quām tot præstantissimorum Mathematicorum in diversis locis degentium & tamen nisi harmoniā consentientium? Quorsum tandem in Astronomiā deveniemus, si observations quasvis suspectas reddere elato impetu cohamur? Verum est & verum manebit Observations Tychonicas quoad Cometas fuisse exquisitissimas, cum nec Instrumentorum idoneorum apparatus, nec etuditis amanuensibus, nec ullo alio necessario requisito destitutus fuerit. Testantur etiam aliorum observations curiosissimè Cometam prædictam fuisse suprà Lunam, quibus freti præjudicioras ejusmodi opiones facile Authori suo relinquere possumus. *Vid. Maßlinus de Cometa Anni 1577. Cornelius Gemma Lovaniensis in Apodixi physica & Mathematica de Cometa Anni 1577. Thaddaeus Hagecius Bohemus de Cometis Anni 1577. & 1580. De quo Tycho Tomo 1. progrm. apag. 505. & Tom 2. p. 367.*

15. Nec verò Ricciolus hic præterevidens est, qui *Tomo 1. Almag. N. parte posteriori* Lib.8 pag.89. contendit neq; à Tychone nèq;

neque ab ullo alio demonstratum esse Cometam hunc fuisse supra Lunam, quin potius probabile esse utrumque, & supra Lunam & infra Lunam eum existere potuisse, quamvis prius posteriori probabilius sit. At quorsum iterum hujusmodi animorum fluctus? Una est veritas & semper sibi constans. Argumentamur: *Quicquid in cœlo motu tardiori movetur quam Luna* & etiam minorem & habet parallaxin illud supra Lunam existit. *Cometa iste motu tardiori in cœlo motus est* & etiam minorem habuit parallaxin quam Luna. Ergo suprà Lunam existit. Minor innititur variis Artificiis anteà memoratorum observationibus neque etiam sedulo spectatori in quocunq; Cometā nudos oculos adhibenti obseruat.

16. *Hec ex occasione Meteororum sub concavo Lunæ oberrantium quibus cum Aristoteles Cometas comparat. Plures sententias de Origine Cometarum & modo productionis eorum vide apud Ricciolum. Nos jam Aristotelem cum sequacibus redarguemus ex propriis suis hypothesis & diversis Cometarum affectionibus. Aristoteles Cap 7. Lib. 1. Meteor. existimat ignem suum fictitium sub sede Lunari contentum unā cum aere continuè in circulum moveri, hinc à motu isto exhalationes siccas & calidas facile accendi, quæ tandem legitimè temperatæ in Cometas degenerent. Sed falsum, ignem elementarem esse sub cœlo Lunari, falsum, aërem circulariter moveri cum igne, falsum, Cometas unā rapi. cum aere à primo mobili.*

17. *Magnitudo Cometarum etiam facile destruit figmentum istud de ortu eorundem ex vaporibus, siquidem ad tantam molem quanta multorum Cometarum fuit longè plures exhalationes requirent ut quām ex terrâ & mari exsurgere possunt, hinc Villebrordus Snellius præsuppositâ altitudine Atmospharæ milliarium germanicorum 13. & calculo legitimè adhibito ingeniosè elicuit, totum acrem si in unum globum maximè coeas, non potuisse sufficere pro Cometa Anni 1577. Hic enim teste Tychone in diametro subtendit 7. scrupula prima; at totus aer in unam sphærā redactus in diametro excedere non posset tria scrupula prima & quinquaginta secunda, unde colligit, Cometam*

illum in diametro duplo ferè majorem, in soliditate vero octuplo ferè majorem toto Atmosphæræ globo fuisse, atque tandem exentiatur ergo, inquit, alius hic veterus hominibus nimium credulus. Et agnoscant non modò exhalationes terra marisque universas, sed ne totum quidem aerem sufficientem esse ad materiam capitam unius Comete, Libro de Cometa Anni 1618. cap. 6.

18. Idem evincit Magnitudo Cometarum apparet per Telescopium accepta. Nam constat quod conspicilia ista, visibilia in cœlo longè majora exhibeant quam si nudis oculis eas contemplemur, observatâ tamen proportionali utcunque distantiâ, ita ut Lunam, Solem & reliquos Planetas Terræ propiores notabili incremento maiores reddant, fixas autem parum vel nihil ob immānem intercedentem. Iterum vero quoque constat ex observationibus plurimorum Mathematicorum per Tubum Cometam Anni 1618. per exiguum suscepisse incrementum, unde sponte colligi potest, Cometas omnino supra Lunam versari.

19. Véndit repugnat etiam huic assertio cauda Cometarum omnium qui superioribus temporibus ab Astronomis observati sunt. Animadverterunt enim semper caudam deflectere juxta partem Soli oppositam, ita ut si Cometa oriens Solem præcedat, cauda porrigitur in occidentem; contraria occidens Solem sequatur, cauda extendatur versus orientem. Si jam Cometæ sunt exhalationes in supremo aëre accensæ, detur ratio cur eusmodi respectum ad Solem habeant, cum tamen aliæ meteorologicæ impressiones similiè quid non sustineant; detur etiam ratio quare Cometa non ita frequenter figuram suam varient ac reliqua Meteora; denique edifferatur nobis quâ ratione soli Cometæ ita concinnè & regulariter à raptu primi mobilis in orbem circumgyrentur, cum tamen Meteora ignita ab eodem principio, juxta ipsos, circumvoluta, motu tamen inordinato hinc & illinc fluent donec dissipentur.

20. Johannes Baptista Ricciolus Tomo 1. Almagesti sui, parte post. Lib. 8. Sect. 1. Cap. 6. recensitis duodecim opinionibus de Cometarum primordiis, mentionem in Scholiis facit Bodini, qui sive assuerit sive non improbabile saltem statuerit, Cometas esse animas illustrum virorum, quæ postquam diu in terris vige-

rint,

tant, tandem extremos peragant triumphos atque in cœlum heliatum quasi splendida sidera revocentur, ac propterea tandem etiam sequi famem, morbos bella & alias calamitates, quia populi à Nubibus illis optimis deserantur. Sed dormiens Bodinus si hac somniasset, qualecumque mereretur excusationem vigilans vero talia cum scripsisset in Theatro suo Lib. 2 deliria sua & Naturæ & Scripturæ contraria incaute prodidit, hinc à Fromondo Lib. 3. Meteóris Cap. 2. Art. 2. vocatur Politicus flultus, Philosophus Rabbinicus, Peripateticomastix. Originem videvit fanatica hæc opinio habere ex Pythagoræorum Metempchosi & fabulis gentilium. Ita narrant Mythologii de Asterismo in cœlo qui dicitur Coma Berenices, propè Leonem versus Boream, fusisse Berenicen uxorem Ptolemai Evergetis, quæ voverit si Rex maritus victor ex bello reverteretur, se detonsuram crines eosque Veneris templo appensuros, quod cum effectui dedisset & postridie non invenirentur, Contra Astoromus ut solaretur Regem, monstratisstellulis, dixit crines in cœlum sublatos esse, unde adhuc hodie hæc Constellatio dicitur Coma Berenices.

21. Nos de Materiâ Cometarum ut ingenuè quod sentimus fateamur, distinguimus inter Materiam productionis & constitutionis seu Compositionis hanc Cometis concedimus, illam negamus, unde non dubitamus assicerere Cometas creari ex nihilo virtute supernaturali; Si enim naturaliter producerentur, naturales haberent causas; nemo autem hactenus eas ostendere posuit nec forte unquam ostendet. Idem sensisse videtur jam dudum Damascenus Lib. 2. Orthod. Fidei cap. 7. dum dicit: Aggignuntur autem & frequenter Cometæ, signa quodam interiurum regum, qui quidem non sunt ex iis istris que à rerum initio facta sunt, sed divina iustitione opportuno tempore constituantur atq. rursus diffunduntur. Celeberrimus Astronomorum Phœnix Tycho de-Brahe Tomo 1. progymn. pag. 511. inquit: Quod is (Hagecius) quodam etiam Cometas infra Lunam generari idmittit. nullatenus illi assentior. Omnes enim qui revera Cometæ sunt (nam de ubi filius & ignitus Meteoris non loquor) omnino supra Lunam in ætherea mundi regi ne proximari nullum apud me est dubium. Nec obstat quod idem Tycho pag. 584.

B 2

de

de MATERIA NOVA illius STELLÆ fixæ ANNO 1527. conspicuæ ad viam laetæam confugiat, illud enim nonnisi conjecturaliter facit, cùm potuerit & anteâ hiatus in viâ laetæa fuisse ipsi non observatus.

22. *Forma Cometarum specifica a priori*, ut omnium reliquorum corporum, ignota est, eaq; tantum à posteriori, ex affectionibus nempè & effectiōibus utcunque addiscenda venit. Efficiens est Deus gloriōsus. Argumentamur: Aut Cometæ habent causam naturalem, aut supernaturalem. Sed non habent causam naturalem. Ergo supernaturalem habebunt. Minor constat, quia Natura provida Mater certâ serie & statu tempore effectus suos in cœlo producit, quales sunt v. g. Eclipses, Conjunctiones, Oppositiones, ortus & occasus Stellarum. Ast effectus isti insoliti neque certâ serie neque statu tempore recurrunt. Ergo non sunt Naturales. Nec quidquam hic etiam obstat quod in sacris dicitur, Deum requieuisse ab opere creationis. Distinguendum enim inter opera ordinaria & extraordinaria, itemque inter opera ad integratatem universi spectantia & miraculosa. Ab illis cessavit Deus non ab ipsis. Rectissimè celeberrimus noster Sperlingius Instit. Phys. pag. 542. inquit: Non jam de speciebus mundum integribus ac perfectibus, sed novis planè, inusitatâ & extraordinariâ res est. Verè ab ipsis cessavit Deus, interim non ademit sibi Stellaris alias efficiendi potestatem.

23. Finis Cometarum est, ut gloriam Dei ostendant atq; hominibus futuras calamitates denuntient. Quamvis enim effectus speciales à Cometis præsignificati nemini hominum satis cogniti sint, nihilominus tamen testatur experientia, Non unquam terris spectatum impune Cometam, unde etiam Græcorum prouerbiū, οὐδεὶς κομήτης, ὅσιος εἰ κακὸν φίσῃ, Nullus Cometæ qui malum non ferat. Hinc Amtus vetustissimus Poëta & Astronomus optimus cecinit versus:

Latus ut optanti contingat & aureus annus
Nunquam crinitum videatur in aere sidus,
Non sinus geminivè micent, pluresve Cometæ,
Namq; parit multos tempestas sicca Cometas.

Sic & Lucanus ad eundem modum ostendit Cometas semper

nun-

nuntios esse futuros, malorum, quando ante bellum civile ferquenti casamine futuram effectum ominatur Lib. 1.

Ignora obscure viderunt sidera noctes,
Ardentesq; polum flammis cœlog; volantes
Obliquas per inanæ faces, crinemq; timendi
Sideris & terris mutantem regna Cometen.

Experientia etiam hodierna indicat quid nuperus Cometa attulit, quot bellorum tumultus, quot regionum & urbium eversiones, quantam sanguinis profusionem passim? Adeò verè Silius Lib. 3. Punitorum dixit, Cometas esse regnum eversores! Quid adhuc forte restet solus Deus novit qui clementer pro suâ infinitâ bonitate omnia mala à nobis averruisset;

24. Dividuntur Cometæ in caput & caudam vel crines. Caput est ipsum Cometæ corpus rotundam ferè referens plerumque figuram. Cauda dicitur quæ in longum se à corpore Cometicō extendit, mox radios lucidos procul diducens, mox versus Stellam non nihil coartans. Estq; nihil aliud quam radiorum solarium transparentia per corpus Cometæ profundè diaphanum, figuram conicam referens. Peripeterici statuunt caudam Cometarum esse tenuiorem ac spirituositatem materiam, à Cometæ corpore exhâlantem & propterea apparet in statu flammæ levioris quam caput. Nos argumentamur: Si cauda Cometarum est levior aliquid quam flammæ, ea debet sursum pyramidice levigare, vel ob ruptum primi Mobilis versus ortum extendi. Sed posterius neutrum datur. Ergo nec prius. Manet ergo quod Cauda Cometicæ sit à radiis solaribus, Cometæ corpus traluentibus, species quædam figuram pyramidalem refrens, ob corpus Stellarum rotundum, ceu ex Opticâ constat. Quâ sententiâ admissâ facile erit quemque situm caudæ alicuius Cometæ ex motu Solis estimare atque excusare.

25. *Magnitudo Cometarum* est vel *Apparens*, vel *Vera*. Illa est quæ oculis per Instrumenta observatur. Hæc quæ ipsam Cometæ in cœlo quantitatem h. e. longitudinem, latitudinem & crassitatem indicat. De apparenti Cometarum quantitate pauca legimus, cùm ea inconstans admodum sit & subinde variabilis. Refert Seneca Lib. 7. Quest. Natur. Cap. 15. effulsiſſe paulò antè

'Achaicum bellum, Anno ante Christum 146. Cometa non minus
nōtum Sole.' Cometa Anni 1577 Tychoni per Radium Astronomicum primò vñsus est in diametro appārenti 7. minutorum, deinde verò tantūm $\frac{3}{4}$ eo, unde sc̄rupulorum primorum, Tomo 1. pag. 475. Anno 1585. & 1590. Cometae vñsi sunt eidem Tycho-
ni æquales ferè Jovi nemp̄ 3. minutorum, prout id refert in Epistles. Anno 1618. Longomontano in Appendice ad Astronomiam
Danicam Cap. 10. Cometa paulò major Spicā Virginis apparuit
quæ in diametro appārenti 2. minuta juxta Tychonem obtinet. Sed longè aliter de hoc Cometae Johannus Baptista Cysatus Societas
Iesu Et nuper Professor Mathematum Ingolstadiensis, in Mathe-
maticis Astronomicis de Cometā Anni 1618. cap. 1. & 4. sentit, utpote
qui eum primò 7. minuta, deinde unum tantūm propter decre-
mentum habuisse in diametro opinatur.

26. De quantitate verā Cometarum itidem non conveniunt Authores. Tycho Tom. 2 progymn. pag. 202. &c. diametrum
verām capitis Cometāe Anni 1577. censuit 368. milliarium germano-
nicorum, caudæ verò longitudinem verām milliar. germ. 81700.
apud quem tamē ipsum pag. 409. & 415. Bartholomeus Scultetus
diametrum capitis Cometici facit Milliar. germ. 124. Longitudi-
nem autem caudæ eorundem milliarium 2623. Secus etiam sen-
tire Villebordus Snellius Cap. 6. de Cometis. Longomontanus esti-
mat Cometam, qui apparuit Anno 1618. die 27. Decembr. in dia-
metro verā milliar. germ. 175. Cap. 10. in Append. Astron. Dan. pre-
supposita ejusdem à terris distantia 240. semidiametrorum terre-
narum & diametro appārenti 3. minutorum. Unde soliditas Ca-
piris ad terræ globum erit ut 1. ad globum Lunæ verò ut 1.
ad 20. Cysatus Itself Cap. 4. de eodem Cometā, Caput ejus di-
stissimè à centro terræ die 9. Decembr. Semidiametris terræ tribus
100. autūm at diametrum appārentem autem 7. fuisse minutorum,
Verām milliar. ger. II. 175. unde soliditatem ejus ad terræ globum
colligit, ut 1. ad 930. ad globum Lunæ, ut 1. ad 22. Aliter sentien-
tem de hoc Cometā Claramontium vid. Lib. 7. Ante Tychonis cap. 30.

27. Nonnulli distinguunt inter Cometas aëreos & æthereos.
Illos in aërem, hos supra aërem locant. Sed frustra una res divel-
luntur

ditur in duas quæ non potest nec debet divelli. Dictum antea est
& deinceps dicetur, nonnullos Cometas per semestre spatiū in-
desinenter in cœlo conspectos esse, quomodo verò si in aere es-
sent cometæ vel per octiduum tantūm subsistere possent? Dictum
etiam est, quod Cometæ motu constanti oriri & occidere animad-
vertantur in diversis regionibus, id verò non posset fieri si in aere
harrerent. Reliqua transcant. Concludimus, Cometas aëreos
esse figmentum cordatis philosophis meritò explodendum.

28. Duratio Cometarum diversorum diversa est & inde-
terminabilis. Quamvis enim Plinius Lib. 2. Cap. 25. dicat, brevis-
simum spatiū, quo Cometæ cernuntur esse septem dierum, &
longissimum octoginta, nihilominus rerum Magistra experientia
docuit quosdam Cometas per multos dies diutius conspectos es-
se; quin & Seneca Plinii coetaneus Lib. 7. Cap. 21. testatur, Anno
Christi 64. sub Nerone Cometam per sex Menses in cœlo appa-
ruisse, quando inquit: Sex enim mensibus hic quem nos Neronis
principatu letissima vidimus, spectandum se præbuit in diversum illi
Claudiano circumactus. Ille enim à septentrione in verticem surgens
orientem petuit semper obscurior: bic ab eadem parte caput, sed in oc-
cidentem tendens ad Merid. emflexit & ibi se subduxit oculis. Hoc
eum Plinius ignorare vix poterit Antonius Aluretus in Notis ad
Senecam putat addendam Numero Pliniano literam C. fortè de-
pravatam, ut si apt CLXXX. dies, cum tot diebus sex absolvantur
menses. Referunt etiam Conimbricenses Tractat. 3. Meteor. c. 3.
se vidisse Cometam qui cum se supra horizontem extulisset, subito
dissipatus ex oculis evanuerit, sc̄antūm non Meteórum quoddam
nomine Cometæ perperam notaverunt. Ricciolus pag. 24. non-
nisi tres per sex menses, & nullū ultra, apparuisse, excepto Xiphia
illo anno super Hierosolymam, narrat. Primum sub Nerone
Anno Christi 64. Secundum circā annum 603. sub ortum Mak-
metis, tertium Anno 1240. sub eruptionem magni Tamerlanis.

29. Motus Cometarum lineam circularem describens ab
omnibus facilè notari potest, cum etiam constet ex Copernico Lib.
1. Revolut. cap. 8. &c. motum qui sit in cœlo omnem esse circula-
rem & regularem. Rectilineum autem Cometas quoque obti-
nere

nere motum vel saltem eum iisdem tribui posse censem, Galileus in *Tractinatore* pag. 38. 126. &c. Cysatus Cap. 3. de *Cometa Anni 1618.* prop. 8. Keplerus in *Astronomia Optica* cap. 10. qui tamen diversis hypothesibus innitentes diversimode se explicant. Keplerus estimat longe facilius observari posse Cometas, si lineæ rectæ ipsis attribuantur quam curvæ, quando loco citato inquit: *Qui motus Comete Anni 1577. circulis demonstrarunt, difficillimam operam sum- pserunt nego, tamen omnino successit. Multò majores difficultates experientur si idem in Cometis ceteris demonstrandum sumant; mibi in pluribus quorum descriptas observationes sum nactus successit hæc via levius, si quod natura rerum suadet, rectes ipsis lineas tribuerem, quas equalibus temporibus ut plurimum equaliter trajicerent. Solum initio & fine paulo tardiores & quieti viciniores, ut & cetera trajectiones solent. Nam insinuans se motus teluris circularitatem illi facile conciliat.* Sed falsum & non probatum est naturam suadere, Cometas moveri secundum lineam rectam, quin potius contrarium natura omnium Stellarum in cœlo evincit. Falsum etiam est Tellurem moveri, hinc & Longomontanus in *Appendice Cap. 3.* negat Cometis motum rectilineum & Keplerum adigi ut, aut Cometas sensu præditos esse, aut Intelligentiam aliquam eos gubernare statuat, eumque ingeniosè magis & operosè quam verè Cometarum motus træctionum hypothesi excusare opinatur.

30. Motum rectilineum Cometis quoque adscripsit *Johannes Camillus Gloriosus Lib. 5. de Cometis* à pag. 241. quem pag. 247. dolet Ricciolus dixisse: *Probabilis sane ac verisimilis existimandum est, Cometas per rectas lineas ferri liberè per amplitudinem ætheris, & deinde concludit, in re adeò incerta itaque liceat tandem nobis ex hoc labyrintho si non exire at certè evolare.* Lib. 8. pag. 130. Jamdudum etiam *Seneca* quædam incognita & incerta toleranda esse de Cometis monuit, cum & Planetarum nonnullorum, quamvis semper in cœlo versantium motus nondum satis compertus sit, Lib. 7. quæst. Nat. Cap. 25. qui etiam tandem Cap. 26. confidenter hæc verba addit: *Erit qui demonstret aliquando in quibus Cometæ partibus errent: cur iam seducti a ceteris eant, quanti qua-*

quæsionibus quæsib[us] sint. Contenti simus inventis, aliquid veritati & posteri conferant.

31. De *Numerō Cometarum à condito mundo observatorum* censet Ricciolus ab Anno 480. ante Christum ad Annum Christi 1618. in Historiam relatos esse 154. Cometas, quos etiam singulos per circumstantias describit Lib. 8. *Almagesti sui Nori*, de reliquis vel olim non observatis, vel in Europæ horizontibus non visis quidquam certi determinare non licere & valde verisimile esse multò plures ab initio Mundi usque ad hanc diem toti orbi affulsiſſe idem judicat. His etiam addendus est ille qui nostrâ ætate nuper Anno 1652. & Anno 1653. conspiciebatur, cuius infelitem eventum per varias Tragædias hactenùs comperti sumus & adhuc compériri in Europâ nostrâ. Utinam desideratam catastrophem tandem obtineremus!

32. Plures Cometas uno tempore simul visos esse testatur Aristoteles Lib. 1. *Meteor.* Cap. 6. quod & Julius Cesar Scaliger. Exerc. 79. in *Cardanum* affirmat de tempore quo *Carolus Rex Galliarum* Italianam invasit, dum inquit: *Nos duos simul vidimus, alterum matutinum, alterum vespertinum, multis diebus diversâ latitudine bandita multis abhinc annis.* Potest tamen etiam contingere ut unus Cometa instar geminorum appareat si ex matutino evadat vespertinus & contra mutatâ declinatione & Ascensione Rectâ, quod de *Cometis Anni 1531. & 1532.* notatunt *Appianus* & *Frasciorius Lib. 3.* *Homocentricorum cap. 23.* *Longomontanus* quoque in Appendix ad *Astronomiam Danicam* cap. 10. narrat manifestam geminorum Cometarum simul in cœlo versantium observationem à *Francisco Garcia Legato Regis Hispaniarum factam*, in *Perside* in oppido *Sphani* non longè à *Persepoli* versus occidentem, ceu id ex ejus Epistola prolixius videre est.

33. Quo Anni tempore potissimum Cometæ fieri converint secus ac ex eventu determinare velle temerarium est. Quia enim causa eorundem & modus producendi prorsus supernaturalis est, fruſtrâ hic quicquam præstare potis est hominum sagacitas. Nulli alligatur Deus tempori quippe qui solo nutu quæ vult quandocunque vult producere. Ex eventu tamen constat à nato

Salvatore plures & state visos Cometas quam reliquis Anni partibus. Visi enim sunt Hieme novem cum addito nupero decem, Venerem, Estate tri decim, Autumno decem, veluti Ricciolus pag. 23. in Synoptica Tabella quadam ostendit; ubi vero etiam addit, & aliorum quoq; Cometarum tempora certa consignata fuissent & vera causa efficiens ac materia illorum evidenter nota esset, fortasse aliam anni tempestatem palmam auferendam, fortasse non.

34. Varias Cometarum species, vel potius tantum nomina refert Plinius Lib. 2. Cap. 25. ubi dicit: *Cometas Graci vocani, nostris crinitas, horrentes crine sanguineo & Comarum modo in vertice hispidas, quibus tandem subjungit duodecimi varietates vix sine confusione Cometarum & Meteororum;* Suntque, *Cometes, Pogonias, Acontias, Xipbias, Discens, Pithetes, Ceratias, Lampadias, Hippus, Argyrocomus, Hircus & Lomchites vel Longitus.* Comitas stricto nomine accipitur ut significet Stellam quasi undiquaque circum circu clarinibus quasi cincta appetet. Dicitur etiam non nullis *Rosa.* *Hinc* id est *Stella Barbatu* à πάγει Barba, quia in longum instar Barbae Crines extendere videtur, neque ferè distinguatur à Cometā caudato, cum solus ad Solem respectus hanc differentiam faciat, & si versus ortum projicit comam, dicitur *caudatus*, si versus occasum *Barbatus* *Cometa.* *Axortias* ab *axortiō*, i.e. *Jaculator*, quia ad similitudinem jaculi radiorum oblonge continuâ progressionē, extenso syrmate quasi, diuiditur. *Xiphias* id est *ensis* vel *ensiformis* potius, sic dictus propter ea quod caput manubrium gladii referat & jubar cuspede suâ instar mueronis fastigetur. *Discens*, id est, disci formam repräsentans & lata rotunditate fulgens. *Pithetis* à πίθησ id est, *dolium*, quod figuram ejusmodi Cylindricam instar dolii referat. *Ceratias* à κέρας, id est *cornu*, quod quasi cornutus appareat. *Lamphadias* à λαμπτας id est *fax*, quod faculam ardente figurâ suâ imitari videtur. *Iwanus* quasi *equinus* *Cometa* ab ιππος i.e. *equus*, quia jubar equi utcumque repräsentat. *Argyronomus* quasi *Crinargentes* vel *argenticonus* ab αργυρος id est *argentum* & ρομη *comae*, quod colorem candidum instar argenti ostendat; de quo Plinius ait quod specie humana Dei effigiem in se ostendat. *Tegumentis* seu

bir-

birecta Stella vel Hircus, à τρέπει quod hircus deinde est, quia speciem villorum pendentium referre videtur. Λογχίτης id est *baſiformis* à λόγχη lancea vel baſta, quem recentiores verū seu perticam nominant. Iastamen varietates singulas *Aristoreles* cap. 8. reducit ad *Cometas Crinitos & Barbatos*, aut enim circum circu crinum instar coruscant, aut in longum se extendentes caudam utcunque repräsentare animadvertisuntur.

35. Hinc iam promptum erit colligere qualemmam figuram habeant Comete. Color eorundem in variis est etiam varius, nonnunquam clarus instar Solis, nonnunquam igneus & rubicundus, nonnunquam plumbeus ac lividus vel etiam aliquando prossus nebulosus.

36. Nuntios futurorum malorum Cometas esse dictum est, ubi querimus, an Cometæ influxu causativo concurrant ad calamitatum in sequentium productionem, anne vero tantum sint earundem signa? Nos prius negamus & posterius affirmamus. Argumentamur: *Positâ causâ ponitur effectus.* *Ast posita Cometis non illico adest effectus.* Ergo Cometes non sunt cause tristis & eventuum. Idem videntur confirmare carmina sequentia Sibyllæ Erythrææ, quæ Lib. 4. Oraculorum Sibyllinorum leguntur:

Tunc autem signum dabatur divinitus ingens,
Namque relictæbit clarissima Stella corone
Persimilis clarae, cœlo splendente coruscans
Pergit dies multos spectanda videbitur orbis,
Sole sub occiduo vero vocitata Cometa
Stella relucebit, glidis Mortalibus index,
Et famis & mortis, præclarorumq; virorum
Atq; Ducum interitus magnorum Nobiliumq;.

Tycho de-Brahe tamen hæc ad Novam Stellam Cassiopeæ anno 1572. viiā applicat. Notuna etiam est quod inter causam & effectum requiratur contactus sive corporalis sive virtualis, quomodo vero erit contactus illius rei que ne quidem amplius existit quando effectus incipit? Quod autem Cometæ Incolis Terrarum semper mala nunquam bona significant, testatur non tantum insolita & stupenda harum Stellarum facies, sed & eventus

C 2

inf-

infelix, quem ut oīci nostri antecessores semper; ita & nos hodiē non sine dolore experimur.

37. Keplerus quando de Cometis agit Lib. 3, inter alias argumentas, pro more ingenii sui, etiam afferit, Cor. etas proptereā fieri ne regio ætherea monstros suis destituta sit, sicut & Oceanus vastis prægrandibusque piscibus admodum raro conspicuis non carerit, utque coacta crassis ætheris pinguedine in unam molem instar apostematis, cœlestis aura quasi purgetur, quod etiam historix non obscurè approbare videantur, utpote quæ referunt nunc per dies aliquot, velut Anno 1547. nunc per integrum annum. ut tempore cædis *Julii Cesaris*, Solem ferrugineo & sanguineo colore luxisse. Sed lusus est iste in re seriâ merito ridendus. Unde probabit *Keplerus* impuritates & pinguedines in cœlo dari? Falsa est hypothesis ex Sole ebullire fuligines tanquam ex fornace. Sol si aliquando sanguineus visus est non reverà sed apparenter talis fuit, propter aërem inferiorem sanguineis atomis undiquaque refectum.

38. Hac occasione non immoritò quæritur anne stella illa, quæ Magos ad Salvatorem recens natum duxit fuerit Cometa? Tycho Brahe enim de hac Stellâ Tomo 1. progymn. p. 325. inquit: *Fuere quidem nonnulli, qui Cometam fuisse Stellam hanc Magis apparentem, asseverare non dubitarunt, inter quos Cardanus, qui bunc Christi nascienti in Ascidente callocat, quasi illud idem esset cum eo, quod dicit Evangelista viam à Magis in oriente Stellam: Sed id ille cateriq; ejus assecle plus impie quam justa ratione, quomodounque tandem excusent, asseverant. Ut reliqua (pudet enim referre) quæ Astrologicis suis commentis hac de re inseruit non adducam. Neque verò tantum hujus impietatis artifex Cardanus solus hanc Stellam pro Cometâ habuit, sed & oīci Origenes Lib. 1. contra Celsum vix secus censuit, quando expressè dicit Stellam illam fuisse novam nec ulli ex notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt vel in orbibus inferioribus; sed ejus generis quales Cometæ visuntur.* Idem *Theodoras Beza apud Typhonem* pag. 327. Tomo 1. sive seriâ sive obmetri festivitatem statuit dum de Novâ Stellâ Anni 1577. *agenis eumque Cometam nominans, dicit eundem esse illam Stellam duxit ab Eo que prius orbe Magos.*

39. Nos

39. Nos probamus Stellam illam Magorum Cometam non fuisse. Argumentamur: Quaecunq; Stella ostendit certam in terris ab uno loco ad alterum viam, itemq; certam domum, ea non posuit fuisse Cometa. Atqui Stella Magorum ostendit certam viam certamque domum in Terrâ. Ergo Stella Magorum non potuit fuisse Cometa. Major clara est, quia Cometæ in magnâ sunt distantia à terrâ ut non ad unum tantum sed multa loca lucem suam diffundant, unde neque certum vel unum aliquem locum determinare queunt. Si quis etiam peregrinationem instituere vellet & Cometam in Cœlo versantem in itinere suo sequi deberet, mirum in modum viam propositam absolveret. Minor evidenter patet ex historia Nativitatis Christi Evangelicâ. Ergo & Conclusio vera erit. Argumentamur porrò: Quaecunq; Stella non moveatur continuè in cœlo ab ortu in occasum et non est Cometa. At ista Magorum Stella non mota est continuè in cœlo ab ortu in occasum. Ergo non fuit Cometa. Major liquet ex naturâ omnium Cometarum & etiam reliquarum Stellarum, neq; enim ultra Stella sive errans sive inerrans unquam immota stetit aut alibi quam in cœlo fuit. Minor itidem elaret, quia jam dictum est quod Stella aliqua in cœlo locata certum & determinatum locum in Terrâ & quidem exiguum ostendere non possit. Si ergo hæc Stella monstravit Magis domum nativitatis Christi. utique in cœlo esse non potuit. Quod ab ortu in occasum mota non sit, sequitur exinde, quod Magis viam monstraverit tantum ex una regione in aliam, ad quod neque tam longus neque tam celos requiri potuit motus, qualis requiritur Stellarum ab oriente in Occidentem moveri solitarum. Si quis querat quid ergo fuerit hæc Stella Magorum, nos salvâ aliorum authoritate respondemus, fuisse corpus lucidum miraculosè à Deo creatum & in aère accensum, ut luce suâ ministerium Magis præstare potuerit. Dictum verò est corpus hoc Stella non nisi improprie ob similitudinem.

40. Sed nee *Nova Stellas* Anni 1572. in Cassiopeâ & Anni 1606. in Cygno, itemque Anni 1604. in Serpentario & similes, Cometæ fuisse vel dici posse concedimus. Præterquam enim quod

C 3

Natu-

Naturam Stellarum fixarum tum in motu tum in luce obseruantur, satis ostendit Tycho per doctrinam parallaxium. Illam fuisse longe supradicem Cometarum in supra fixarum regione, Denique etiam nullus unquam Cometarum tamdiu in Cœlo duravit quam maxima illa Stella in Cassiopeia, apparuit enim haec anno 1572. & evanuit anno 1574. De quibus Dico, volente suo loco fuisse.

41. Tandem statuimus de Cometis, eos in Thematibus Generibus prorsus nullam habere efficaciam, ac eapropter maleficiū Astrologos illos, qui in Genitū ex Cometis multā prædicēre conantur. Constat Cometas esse effectus supernaturales & extraordinarios, quomodo ergo præcausis naturalibus & ordinariis adhiberi poterunt? Constat etiam eorundem præfigiā non pertinere specialiter ad hunc vel illum hominem, sed ad integrā regnā. Frustrā ergo unius hominis Naturae & fortunā applicantur. Nec obstat quod Eclipsium ratio habeatur in exceptionibus, est enim dispar admodum ratio; sunt namq; Eclipses ex naturalibus causis & stato tempore in cœlo visuntur. At Cometæ ex supernaturalibus & incognitis causis oriuntur, neque certo & stato tempore apparent. Ergo neque eodem cum Eclipsibus reçensendi loco.

42. Superest ut breviter indicemus quo pacto ad oculum quis possit repræsentare aliquid Cometis simile eorumque caudis, ex Keplerō in Astron. Opticā Cap. 7. in fine, ubi inquit, ingrediatur per foramen cameræ obscuræ Solis radius, illiq; objice ex diuidiā parte globum aquetim, hoc est, sphæram vitream aquā plenam; sic ut radius Solis partim in vitrum partim in pariētē impingat, Cometam enim in pariēte videbis. Galileus in Trutinatio pag. 106. alium monstrat modum per sphæram vel amphoram vitream valde nitidam, cui si non procul opponatur candela accensa, apparituram in superficie vitri flammula illius magnitudini, quā parte vitri unguine aliquo infuscata ut penē extinguatur imago illa, si convertatur vās vitreum, ita ut imago ex loco unguine obtenebrato exeat appareatq; in ipsius contactū seu extremo.

confusio, & absterio unguine per digitum recto ductū, apparet imago flammea Cometam referre &c.

43. Coronidis loco adhuc quærimus, anno Stella illa, quæ per integrum annum ante excidium Hierosolyma eidem futuras clades nuntiavit, fuerit Cometa? Narrat Antiquitatum Scriptor Josephus Lib. 7. Belli Iudaici Anno Christi 70. conspectum esse Cometam Xiphiam per totum annum Urbi Hierosolymorum imminentem, quem etiam certissimum iræ divinæ prodromum fuisse tristis comprobavit eventus. Nos cum Tychone Tomo 1. pag. 330. & 626. dicimus, hoc ostentum propriè Stellam vel Cometam dici non posse, sed fuisse id prorsus singulare aliquod portentum, non inter Stellas sed in aere positum & divinâ virtute ad terrendos Iudeos incēsum. Si enim Cometa fuisse non potuisse Hierosolymitanis singulariter ruinam futuram minari, ob altitudinem in cœlo & iugem cum reliquis sideribus circumvolutionem. Taceant ergo hic omnes pii & in timore stupendum admittentur Dei potentiam.

cui Soli

LAUS, HONOR, VIRTUS ET GLORIA;



Corpora Stellarum miro rutilantia vultu
Dum lustras, vel hoc dogmate clarus eris.
Tunc amaranthæas Musæ donare corollas
Pergens, tunc studii justa brabea feres.

Festinans adposuit, felicia quæg, DN. RESPONDENTI,
Amicos suo integerrimo, precatus,

M. ISAACUS ZABANIUS,
Brodiano-Ungarus.

Ardua

Ardua moliris Basch dum sublimia cœli,
Alis doctrinæ per volitare cupis,
Sedulus astrorum solers discrimin adumbras;
Splendorem cunctans aspicio tetur;
Sat benè, crede, facis; nec figere semper ocellos
Ad terram doctos eximiosq; decet.
Pergere ne cesses, quæso; nam sic tibi laudem
Magnam confers, ac es Patriæque bono.

gratulabundus apposuit

JOHANNES GUNESCH, Cibin. Trans.

*Eximio Atq; Præstantissimo IDN. RESPONDENTI,
ex Astronomiâ publicè disputante;*

Cœlica cœlestes scrutatur Mens regiones
Et Terram fixo linquit in orbe loco:
Celsa Poli vénatur & ascendit juga cœli
Ætherea intrepidæ Mens generosa pede,
Quid referam quæso? nonne idem noster amicus
Nuic præstat? nonne is scandit ad astra poli,
Æthereas lustratq; faces lustratq; Cometas?
Hci! num miscet ut Terra pôlusq; simile
Non miror, raccio, Lyricus jam dixit id olim,
Terrea gens audax omnia ferre potest;
Quin potius grator multum voro que benignè
Ut studium felix det Deus hocce tibi.
Sic felix quoque eris, sic sic valdè benedictus
Semper eris: Sic jam fistula nostra silet.

gratulabundo an. mccciniit

**GEORGII ZACHARIAE, Mediæ-
Transylvanus.**

